

1 Serenissime Princeps, Domine Clementissime. Litteras Serenissimae Celsitudinis Vestrae attulit ad me Dominus Gaspar Sciopius die secundo septemb. qui nunc agitur; multa quoque mihi narravit de ingentibus motibus Germaniae in causa religionis. Ago Serenissimae Celsitudini vestrae ingentes gratias, quod mihi multis nominibus Serenissimae domui vestrae ex corde devinctissimo aliquid mandare dignata sit. Illud unum moleste fero, quod non sim eius auctoritatis, ut re ipsa praestare possim quod toto animo cupere in obsequium tanti principis, praesertim in ea causa, quae illi
10 cum tota Germania, atque adeo cum ecclesia universa coniuncta est. Verumtamen ut aliquid praestare inciperem, adivi continuo Summum Pontificem, eique totum hoc negotium diligentissime commendavi, eumque hortatus sum, ut omnibus, quibus posset, rationibus tantis periculis occurreret, totque imminentibus malis remedia pro sua
15 prudentia adhiberet. Sanctitas sua me perlibenter audivit, ac dixit, sibi causam istam esse cordi, seque paratum esse vitam propriam pro salute tot animarum impendere. Utinam verbis facta respondeant. Interim videbimus, quid consilii Sanctitas sua capiat; et si deputatio cardinalium fiet, in qua ego locum habeam, ut in huiusmodi
20 rebus habere soleo, non deero officio meo, et devotioni, quam vestrae Serenitati, et Serenissimae Austriacae domui debere me scio. Quia vero cogitationes mortalium timidae sunt, ut Sapiens loquitur, et incertae providentiae nostrae; ad Patrem nostrum, qui in coelis est, oculos levare debemus, ac piis precibus petere, ut respiciat,
25 et misereatur. Id à Serenissima Celsitudine Vestra fieri certus sum idem nos quoque faciemus, atque in Omnipotentis Domini auxilio praecipue confidentes, de cuius causa agitur, operam nostram, quantam ipse dederit, fideliter adiungemus; et quicquid tandem evenierit, in eius sanctissima, et iustissima voluntate acquiescemus. Incolumem
30 et felicem Serenitatem vestram, ut idem Dominus diu conservet, ex animo precor. Romae die 6^a Septembris 1609.